

Petrus de Vinea

*Ep. III 27 (Missos nuper
ad presentiam nostram...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 27 (Missos nuper
ad presentiam nostram...)*

settembre 1253

Senatori et populo Romano, confortans eos in fide sua.

1. Missos nuper ad presentiam nostram prouidos uiros uniuersitatis uestrae legatos gratanter recepimus, hylariter uidimus et propositionis eorum uerba pleno collegimus intellectu. 2. Quorum industria diligens et intercessio studiosa recte ipsos tantae urbis nuntios fatebatur, dum, ostendentes altam mittentium uerbo et opere dignitatem, coram nobis suae legationis officium prudenter et fideliter impleuerunt. 3. Cumque tam ex ipsorum relatibus, quam ex ipsa experientia rerum, quae quorumlibet testium depositioni preponitur, firmiter serenitas nostra comperit, quod purum geritis erga nos sinceritatis affectum et honor noster in Vrbe continuis semper et fructuosis successibus procuratur, certos esse uos uolumus, quod sic nos delectat generalitatis et singularitatis uestrae promouere compendia, sic stabili mente concepimus statum uestrum ubilibet ampliare, ut, uobis ipsis retinere credentes, quicquid in uos honoris et commodi dextera nostrae liberalitatis extendet uel effundet, uoluntatem, quam erga nos placidam semper habere uos nouimus, gratis iugiter inductionibus augeamus. 4. Vos igitur, uiri fortes et nobiles, in quos uires et animos grata proauorum generositas propagauit, de potentiae nostrae felicitate confidite et honorem nostrum, qui uester est, clarorum operum effectibus promouete, ut uoluntates nostrae mutuis concretae profectibus, sic in nobis uestrorum actuum claritate tripudiant, quod in uobis de nostrae munificentiae generositate florescant.